



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VI. Qui in aegritudine ad loca religiosa se transtulerint, si in ipsa aegritudine decesserint, cogi possunt & debent, vt personis vel ecclesiis, a quibus pabulum receperunt salutis, canonicam ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## CAP. V.

*Alexander tertius archiepiscopo Rothomagensi  
& abbati\* Geomar.*

ANNO  
CHRISTI  
1179.

11. q. 3. Si  
episcopus.

Ex quorundam certa relatione audiuius, quod cum aliqui viri ecclesiastici, de prouincia vestra pro iustitia sua prosequenda literas commissorias a nobis impetrant, aduersarii eorum, vt mandatum nostrum eludant, antequam litera illa ad iudicem perueniant, vel literis nostris a iudicibus receptis, priusquam ab eis citentur, in vocem appellationis prorumpunt: aut conuentionem facientes, aliquos in possessionem eorum, de quibus controuersia vertuntur, malitiose inducunt. Quoniam igitur huiusmodi calliditates & versutias suis non debent in aliquo auctoritatibus suffragari, & nos contra praedictas calliditates & versutias, pastoralis volumus sollicitudine prouidere: discretioni vestrae, &c. quatenus si aduersarii, inter quos & ipsum super ecclesia controuersia diutius est agitata, pro euacuando mandato nostro supradicto modo appellauerint, aut de possessione qualibet \* conuentionem fecerint, vel malitiose se absentauerint, eos qui in possessione praedictae ecclesiae se ingesserint, appellatione cessante, cogatis sub examine vestro iuris aequitati parere.

\* conuentione

CAP. VI. *Lucius tertius.*

De his qui in sanitate vel infirmitate ad loca religiosa se transtulerint, nil tibi vel ecclesiis, a quibus receperunt pabulum salutis, relinquentes: hoc tuae prudentiae innotescat, quod si in aegritudine ipsa ad religionem transeunt, dummodo in aegritudine ipsa decedant, praedictis ecclesiis, a quibus assumpti fuerint, canonica debet portio exhiberi. Si vero ad religiosa loca in sanitate se transtulerint, cogi non possunt aliquid praescriptis ecclesiis imperitari: quia liberum est eis tunc bona sua non solum religiosi locis, sed etiam quibuscumque priuatis personis conferre.

CAP. VII. *Lucius tertius.*

Quoniam ex plenitudine potestatis, &c. Super hoc quod quaesiuisti, vtrum super ecclesiastico beneficio in